



~~237~~ C1.

54

DISSE<sup>T</sup>RAT<sup>I</sup>O PHILOSOPHICA  
DE  
ELEMENTIS;  
<sup>Q U A M</sup>  
ANNUENTE DEO, T. O. M.  
S U B P R A E S I D I O  
JACOBI BERNARDI, A. L. M.

*Philos. Doctoris, hujusque facultatis & Math.  
in illustri Academia Lugduno-Batava  
Professoris Ordin. ut & Ecclesiae  
Gallo-Belgicæ ibidem Pastoris;*

Publice tueri conabitur

BALTHAZAR BRANCHU, Hag:-Batavus,

A U C T O R .

*Ad diem 29 Junii, 1715. ante meridiem,  
hora locoque solitis.*



LUGDUNI BATAVORUM,  
Apud PETRUM VANDER Aa,  
*Bibliopolam & Typographum Academie, ut & Urbis.*

M D C C X V.

237 C. 1.

PARENTI OPTIMO,  
MICHAELI BRANCHU J.U.D.

OB SINGULAREM AC SEDULAM IN STU-  
DIIS MEIS PROMOVENDIS OPERAM COL-  
LOCATAM, OMNI HONORE, PIETATE  
GRATIQUE ANIMI SIGNIFICATIONE PER-  
PETUUM COLENDO,

UT ET

VIRO ACUTISSIMO  
ET CLARISSIMO  
JACOBO BERNARDO, A.L.M.  
PHILOS. DOCTORI, EJUSDEMQUE FACUL-  
TATIS, AC MATHES. IN ACAD. LUGD.  
BAT. PROFESSORI ORDINANIO, ET EC-  
CLES. GALLO-BELGICÆ IBIDEM PASTO-  
RI FACUNDISSIMO. PRÆSIDI OPTATIS-  
SIMO,



HASCE STUDIORUM  
SUORUM PRIMI-  
TIAS REVEREN-  
TER, UT PAR EST,  
OFFERT

BALTHAZAR BRANCHU,  
AUCTOR.



DISSERTATIO PHILOSOPHICA  
DE  
ELEMENTIS.

Thesis Prima.



uum Philosophus in rerum natura investiganda diversa uti debeat methodo prout vel Elementa statuit , vel ea repudiat , maximi est momenti inquirere quidnam de iis nos ratio sentire suadeat.

I I.

Philosophi , qui ceteroqui circa res etiam evidentiores sententias discrepantes fovere amant , hoc in negotio obscurissimo , dico in Elementi definitio ne , circiter convenient ; hoc enim vocabulo intelligere videntur *corpus simplicissimum unde alia corpora componuntur , & in quæ resolvuntur quando resolvuntur*. Non ignoramus tamen Epicurum Vacuum etiam pro Elemento habuisse , verum quamvis pori alicujus corporis sint ipsi essentiales , non tamen id corpus componunt , non enim e.g. spongiæ porum spongiam dixeris.

I I I.

Circa Elementa hæc possunt quæri . Primum , an den-  
A tur ?

2 DISSERTATIO PHILOSOPHICA

tur? secundum, an si dentur ea nosci possint? Tertium, an hæc si noscantur aliquid ad naturæ apparentias explicandas conferre queant? Quartum posset quæri, num scilicet præter inutilitatem incommodum etiam aliquod ab Elementis in Physica sit metuendum. Quamvis hæc ultima quæstio non omnino intaeta in sequentibus a nobis relinquatur, non censimus tamen eam dignam quæ ex professo examinetur: quia nemo sui laboris & temporis adeo prodigus a nobis creditur, ut ea in rebus omnino inutilibus impendat.

I V.

Ad primam quæstionem quod attinet, num dentur Elementa? nemo ejus solutionem a nobis exigat. Quum enim, ut judicium ea de re ferremus adesse deberent rationes, quæ dubitationi locum præriperent, nec eæ nobis suppetant, nihil etiam super hoc pronunciabimus. Nec solos quidem nos fallunt rationes, quibus ducti quidam dari Elementa afferunt: dantur adhuc hodie non pauci nec obscuri nominis Philosophi, qui Anaxagoræ *ἰδεομένων* (ut eam vocat & explicat Lucretius lib. i.) amplexi, non modo ut nos Elementa an dentur dubitant, verum etiam illa existere negant.

V.

Secundum quod quæritur hoc est, num, Elementa si sunt quædam revera in Mundo, ea nosci possint? Elementa omnino nos latere tuto responderi posse autumarim:

*Omnis enim longe nostris ab sensibus infra  
Primorum natura jacet.*

(Ut Lucretius, libro 2. canit.) ac proinde nihil certius aliquis de Elementis afferere potest, quam quod conjiceret quidam de animalibus a se nunquam visis quæ sunt in Indiis;

diis ; cognitio enim animalium quæ vidit , nihil eum ju-  
varet ad detegendas proprietates animalium illorum. Et  
fane Philosophorum ignorantiam circa Elementa abunde  
probat sententiarum quas tuentur varietas. Exempli causa  
præter Aristotelis-Chemicorum & Cartesii sententias, quas,  
notæ quia sunt omnibus , hic referre esset inutile , Heraclitus  
omnia ex igne solo consistere creditit , ut videre est a-  
pud Lucretium , qui Epicurum sequutus atomos & vacuum  
pro Elementis habet. Thales Milesius omnia corpora fieri  
ex aqua & in aquam resolvi docuit. Hanc de aqua sen-  
tentiam renovavit Helmontius non multis abhinc annis.  
Alii hodie corpora fluida & solida , quatenus talia , Ele-  
menta esse credunt. Omnes opiniones referre longum foret;  
Philosophorum enim numerum prope æquat numerus sen-  
tentiarum circa Elementa.

## V I.

Tertium quæritur , num Elementa , si noscantur , aliquid  
ad naturæ apparentias explicandas conferre queant ? Hoc  
itidem negari sine erroris periculo posse videtur. Quum  
enim Physica id agat ut *φανομένων* causas veras proferat , id  
neutiquam fieri posse ab eo qui Elementis utitur patet ,  
quia nimirum ab omnibus , quotquot sunt , qui varia sta-  
tuerunt Elementa , quædam apparentiæ fuerunt explica-  
tæ , quædam explicari non potuerunt : quis ergo ex iis  
probare poterit se veram apparentiæ causam esse esseque-  
tum ? ut enim celeberrimi Burcheri de Volder verbis , in  
Oratione ejus de Rationis viribus , & usu in Scientiis , u-  
tar ; in *Physicis* , ut ut ex Hypothesi quam certissime conclu-  
damus , incertum tamen relinquitur , eane , quæ in ratiocinio  
assumimus , corpora , revera sint , an minus . Quod eo in-  
certius , quo ad corpora accedimus minus simplicia . Ulterius ,  
quum *φανομένων* causa proxima quaeratur , Elementa sunt pla-  
ne inutilia , quia nimis sunt remota a rebus quæ cadunt  
sub sensum ; & cognitionis nostræ cancelli sunt nimis ar-  
cti , quam ut tantam causarum & effectuum seriem com-  
plecti queant.

## V I I.

Sed supponamus Elementa cum suis operationibus esse perspecta, nec attendamus ad ea quae modo diximus, nihil minus sententiam de Elementorum in Physica utilitate deserere oporteret. Licet enim non ignoraremus quid singula Elementa operarentur quando in corpus aliquod compositum nondum coierunt, inde nihil adhuc subsidii ad naturae miracula pandenda haurire esset in proclivi: Quum enim nostro aeo facta experimenta persuadeant quae primum corpora sensuum aciem fugiunt ea nondum esse Elementa, immo multa adhuc intercedere corpora composita antequam ad Elementa ipsa deveniatur; ac operationes Elementorum unice palam facere queant proprietates alias minutissimorum corporum illorum compositorum: manifestum est inde adhuc non posse nos φαινομένων causas assignare. Insuper, ut fieret illud, consequentiis debilissimis, actiones easdem quas in simplicibus animadvertemus, corporibus compositis tribueremus. Verum sic immane quantum nos a vero aberraturos pronunciare quis cunctabitur, qui in mentem revocabit experimenta nonnulla, quale hoc est, calcis frigidæ aqua etiam frigida perfusæ, quæ singula quamvis frigida, calidissimum quid tamén conjuncta efficiunt. Plurima id genus desiderans adeat Rohalti Physic. p. 1. c. 20.

## V I I I.

Immo si maxime falsum esset quod haec tenus a nobis est traditum, non melius tamen defenderetur Elementorum in Physica utilitas: quum enim via compendiaria ceteris paribus sit optima, in apparentiarum caufis indagandis, methodo ἀναλυτικῇ utpote brevissima utendum fateri esset necesse. Hancce autem methodum hoc in negotio methodo συνθετικῷ, quæ Elementorum usum exigeret, præstare propter brevitatem sequutura demonstrabunt.

IX.

## I X.

Physicam esse scientiam quæ naturæ corporeæ apparentias per earum causas explicat quum sit confessum ; evidens est , licet methodus *ανθρωπικός* facilior esset methodo *ἀνθρωπίνῳ*, propter maximum causarum numerum , quæ percurrendæ essent antequam ad propositi *φυσικής* causam perveniretur , diligendam potius methodum *ἀνθρωπικήν* , quum imprimis ea utendo , si particularis alicujus apparentiæ causa queratur , sufficiat experimentorum ope unicam causam proxime antecedentem querere ; sic enim quæstioni satisficeret : e contrario juxta methodum *ανθρωπικός* omnes causæ præcedentes ab ipsis usque Elementis repetendæ essent , si non verbis coram illo qui apparentiæ causam querit , certe animo omnes percurrendæ forent.

## X.

Non abs re erit exemplum proferre celebratissimi Philosophi , qui , quamvis ingenii sui aciem elegantissime exercuerit omnia *φυσικά* explicare Elementorum ope conando , sæpius tamen non simpliciter Elementis suis utitur , sed aliena eis adjungit ad apparentiarum rationem reddendam , immo ubique sibi constare nequit , adeo verum est Elementorum usum in Physica nocere , nedum quicquam prodefse. Quum enim Cartesius radios lucis esse secundum suum Elementum dicat , quamvis constet solis radios maximum excitare calorem , quando tamen explicat quomodo fœnum in metu dispositum aliquando vehementissime incalefacat , non dubitat secundum suum Elementum removere tanquam quod frigus in aëre conservare posset , idem in plurimis aliis locis tradit ut exponat quomodo quædam corpora flammam concipient : experientia vero longe aliud nos docet , videmus enim solis radios præsertim vitri convexi vel speculi ope collectos stupendum efficere calorem: jam vero ut Cartesius sibi constaret , aut non deberet docere radios solis esse secundum suum Elementum , aut , si

hoc defendere ex suis suppositionibus cogeretur , alio in loco secundum hoc Elementum non removere deberet tanquam calori repugnans.

## X I.

Videamus nunc quid Cartesium credere suauissim methodus *αναλύσις* , quæ neglecta doctrina de Elementis ad experimenta potius attendit. Hæc eum docuisset calorem excitari per varium ac vehementem motum ; hæc persuasisset dari materiam quæ visum fugit ; hæc eadem ostendisset solem agitare materiam illam ad nos usque ; hæc convicisset eandem materiam , e. g. in foco quod calefit , agitari debere ; hæc in causam agitationis inquire jussisset , quæ inveniri si non posset , nostra esset agnoscenda ignorantia , si posset nulla reperiatur repugnantia in explicazione amborum *Φαινομένων*.

## X I I.

Adi ejusdem Philosophi Princip. part. 3. §. 88. & ejusdem operis partem 4. §. 92. 93. ac doctrinam non bene convenientem , quia Elementis ubique utitur , percipies ; in priori enim loco dicit materiam crassiorem & motui minus aptam communicare adhuc debilem motum quem habet cum materia multo tenuiori & agitationi nimirum cum primo Elemento : in posterioribus vero locis & alibi sæpe dicit materiam primi Elementi non accipere sed tradere vehementem suum motum materiae terrestri (quæ constat tertio Elemento ad motum minime apto) debili motu etiam præditæ.

## X I I I.

Ut autem probemus quod thesi decima in medium adduximus , nempe summum Philosophum Cartesium non simpliciter , ut debuisset , Elementis suis uti , sed iis nova addere ut apparentias varias explicet , sufficiet in praesentia unum proferre exemplum.

XIV.

## XIV.

Jam quidem quod succurrit est materia ejus striata, cuius ope magnetis *Φανόμενα* explicat. Hanc materiam Cartesius tanquam a primo suo Elemento non diversam Princip. Philos. part. 3. §. 93. obtrudit, *quandiu*, ait, *tantum inter globulos secundi Elementi versatur*. Verum quod materia illa sit inter secundum Elementum, aut inter tertium, hoc nihil mutat in materiae illius essentia. Jam autem quum materia striata occurrit materiae tertii Elementi non accommodat se ejus poris ad eam recipiendam non aptis, quae quum sit proprietas essentialis primo Cartesii Elemento, materia striata non potest haberi pro primo Elemento, quicquid dicat Cartesius Princip. Philos. part. 3. §. 93. Non potest etiam pro tertio haberi, quia est figuræ determinatæ; neque pro secundo. Attamen quum ex ejus generatione manifestum sit materiam illam non minus, immo forsan magis simplicem esse quam tertium Cartesii Elementum; & ipsa materia striata dicenda erit Elementum: quod terno Cartesii Elementorum numero repugnat. Vide Princip. Philos. part. 3. §. 88. 89. 90. 94. 100.

## X V.

Elementorum inutilitas in Physica postquam rationibus fuit probata, Cartesii solius exemplo fuit illustrata, tum quia celebratissimus, & merito quidem, est Philosophus, tum quia nemo aliis tam ingéniose Elementis fictitiis in Physica usus est, adeo ut, qui legit quomodo eorum ope apparentias Mundi explicit, cum pœnitentat firmas rationes reperiiri quae eorum pleraque esse tantum conjecturas credere jubeant.

## X V I.

Superest ut anticipetur aliquid quod posset objici: nempe ex disputatis sequi ab omni conjectura in Physica abstinendum, quia nihil certi nos docet conjectura. Verum hoc diluitur verbis Clariss. Weyeri Gulielmi Muys, Medi-

8 DISSERTATIO PHILOSOPHICA, &c.

Medicinæ Professoris Franequeræ , in Oratione ejus De Theoriæ Medicæ usu. Hæc verba conjecturarum usum in Medicina licet doceant , hujus loci tamen etiam sunt. Interdum illis , ait , (scilicet Medicis) prodeſſe poterit ut tales ſibi fingant Hypotheses , quæ partium vel muneribus vel effectis , horumve cauſis haſtenus dubiis explicandis idoneæ non ſolum immutabilibus Mechanices regulis nufpiam repugnant ; ſed & obſervationibus & experimentis jam ante factis ubique congruant : quas tamen (quod notandum) neutiquam pro veritatibus venditare , ſed tantum problematice propositas haud alium in finem adhibere ſtudeant quam ut horum norma nova ſibi experimenta excogitanda atque perficienda fuſcipiant , quæ vel has comprobent , vel mutandas aut rejiciendas ac proinde exquirendas eſſe monſtrent , quorum altero nempe reſ quæſita detegitur , altero vero novo ad ejus inventionem gradu adſcenditur , atque ita in utroque caſu rei abſconditæ nova lux affunditur .

F I N I S.



E F F A-

# E F F A T A.

I.

*In propositionibus exclusivis exclusio est pars præcipua, in exceptivis propositio generalis est præcipua.*

2.

*Omnis syllogismus vitiosus vel in forma peccat, vel in materia: in forma quum non observantur regulæ argumentationis; in materia, quando libertatis fit abusus.*

3.

*Duas tantum esse substantiarum species, intelligentem & extensam probari nequit.*

4.

*Vulgo receptum dictum, Quodcumque est alicubi est, falsum pronunciamus eo sensu quo ab omnibus fere intelligitur.*

5.

*Idea Dei, quam habemus, causam habet Deum.*

6.

*Fieri nequit ut extensum quid cogitet.*

7.

*Cur aqua dum congelatur rarefiat, Philosophos adhuc latere censemus.*

8.

*Systema Tychonis Brahei confistere neutiquam potest.*

9.

*Cartesii sententiam circa Cometas evertunt Cometarum parallaxes majores deprehensæ parallaxi Saturni: neque felicius eas explicare conatur Newtonus.*

IO.

*Quæ vulgo vocatur Humilitas, quamque Modestiam Romani dixerit, est justa & exacta nostri æstimatio qua sit ut secundum eam dirigamus actiones nostras.*

II.

*Partes Humilitatis male statuuntur inspectio & despectio sui: hæc enim potius sequitur, illa Humilitatem præcedit.*

F I N I S,

# PATER FILIO.

DULCIS NATE, animæ dimidium meæ,  
Perfundor solidis pectora gaudiis,  
Synceræ αφίσ dogmata te Videns  
Propugnare palam Præside sub gravi.  
Inconcussa quidem sunt: precor attamen  
Ut restare queas aggredientium  
Adversus validos tu puer impetus.  
Ergò macte animi: rem gere fortiter.  
ui Hemt voti fieri tam citò compotem?  
Sic est. Vincis, io! laurea te manet.  
Lætis turba favens plausibus, en, tibi  
Qui debetur honos, hunc tribuit: cape.

M. B.





